



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio X. De officio sacerdotis in hoc Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Iuxta principia 2. sententiæ videtur dicendum inferiorem in casu necessitatis non tantum posse absolueret, quando non inuenitur excommunicatio referuata, sed etiam quando inuenitur. quod tenet Suarez sect. 3. cit. num. 6. quia si penitens non peccet, excommunicatio non obstat validitati absolutionis, vt docent varij, & proinde licet confessarius non posset absolueret ab excommunicatione, nihil videtur obstat, quo minus valeat absolutio. neque in hoc peccabit confessarius conficiens Sacramentum priusquam absoluat à censura: quia si quod peccatum inueniretur, esset quod communicaret cum excommunicato ante absolutionem ab excommunicatione: quod tamen potest in casu necessitatis. vnde non obstat excommunicatio, si homo non sit nominatim denunciatus excommunicatus vel peccaret quod cooperaretur alterius peccato, quod etiam falsum est: quia in casu necessitatis excommunicatus, v. g. occultus non peccat suscipiens Sacramenta.

Confirm. ad vitandam infamiam, mortem, &c. excommunicatus posset suscipere Eucharistiam, ergo & Sacramentum penitentiae.

QVÆSTIO X.

De officio sacerdotis in hoc Sacramento.

DVBIUM VNICVM.

Quomodo sacerdos se debeat gerere, vt penitentem licet absoluat?

Dico 1. vt sacerdos licet possit penitentem absolueret, debet illi prudenter constare de eiusdem dispositione, vt de contritione, proposito restitutionis, vbi restitutio est necessaria. & quamuis possit absolueret, antequam re ipsa fiat restitutio: interdum tamen expediet differre absolutionem, donec ea perfecta sit, v. g. quando confessarius aduertit penitentem aliquoties neglexisse restitutionem, quam facere debebat, & promiserat. debet etiam ei prudenter constare de proposito peccata in posterum cauendi, & proximas peccandi occasiones. probatur, quia incumbit ministro Sacramenti procurare ne sacrilegium in eo committatur, & in hoc Sacramento peculiariter ei incumbit procurare, vt sententia sit efficax, & vt non exponat se periculo ferendi sententiam inualem abique graui necessitate; exponeret autem se tali periculo nisi de iam dictis prudenter ei constaret.

Aduerte 1. ex Nauarro in summâ, cap. 3. & Suarez disp. 32. sect. 2. num. 4. illas posse dici proximas peccandi occasiones, quæ semper, aut pene semper in similibus personis peccatum habent coniunctum, vel, vt Suarez, experimento constat in hoc homine talem habere effectum. requiritur tamen vt occasio sit voluntaria, quam remouere sit in hominis potestate. vnde si filius familias in domo paternâ talem habeat peccandi occasionem, non censetur esse indispotus ad absolutionem, si non deserens domum paternam peccatum caueat quantum potest, quia non potest ex ea discedere, atque adeo talis peccandi occasio potest illi censi inuoluntaria. similiter ancilla, quæ non po-

test absque notâ egredi ex aliquâ familiâ, vel non potest alibi inuenire famulitium, non censetur remanere voluntariè in proxima peccandi occasione, quæ fortè se offert in tali domo. quod tamen moraliter videtur intelligendum: quia si tentatis aliis medijs constet ea non sufficere, posset tandem cogi talis ancilla etiam cum detrimento temporali ad tollendam occasionem. antequam tamen confessarius id præcipiat, iuuat penitentem quantum fieri potest, & suggerat media opportuna etiam in tali loco vitandi peccata, verbi gratia significando vt caueat ne sola cum solo conuersetur &c.

Aduerte 2. quod etiam in superioribus notauimus, ad hoc vt penitens sit dispositus, non requiri vt ipse, vel sacerdos sibi persuadeat enim nunquam mortaliter peccaturum, sed sufficere vt id proponat, cuius propositi etiam signum est, si homo in posterum rariùs labatur, si non tam effrænè peccet &c.

Aduerte 3. in hoc Sacramento credendum penitenti pro vel contra se dicenti, vt communiter Theologi, nisi moraliter constet de contrario, quod addo quia si de contrario moraliter constaret, sacerdos non teneretur credere, vt iam dicebamus de eo qui aliquoties confessus omissionem restitutionis dicit se restitutum, cui confessarius non tenetur credere.

Dico 2. sacerdos tenetur etiam monere penitentem & interrogare, si aduertat eum aliquid culpabiliter omittere. probatur 1. ex parte sacramentali, cuius perfectioni tenetur consulere, à quâ obligatione non liberatur, quod forte iuxta aliquorum sententiam Sacramentum eo casu posset subsistere. quia saltem esset informe; tenetur autem minister Sacramenti procurare vt Sacramentum suo effectu non careat. 2. ex parte penitentis, cui tantum iudex, & medicus tenetur consulere vt non maneat in statu peccati mortalis, & vt eius morbi curentur. & in hoc satis conueniunt Doctores.

Difficultas verò est, an teneatur interrogare, si aduertat penitentem aliqua omittere, ita vt omisso non obstat formali integritati confessionis, & valori, & efficacitati forme, ac effectui Sacramenti: difficultas autem intelligitur quando sacerdos id potest sine incommodo, & sperat se interrogationibus effecturum, vt penitens casum aperiat. Ioan. Medina cod. de confessione tract. 2. q. 19. de confessione dimidiatâ iterandâ, negat, quia in eo casu inuenitur confessio moraliter integra, super quam ferri potest absolutio etiam cum effectu.

Contrarium tamen est longè verius, quod tenet Nauarrus cap. 5. num. 2. Suarez disp. cit. sect. 3. num. 7. Vasquez qu. 93. art. 3. dub. 7. qui tamen indicat sententiam Medinæ esse probabilem.

Probatur, confessarius est iudex, cuius est quantum commodè fieri potest, integritatem iudicij procurare, & vt tota causa innotescat. 2. est medicus, cuius est procurare vt morbi, & vulnera penitentis detegantur. 3. etiam materialis defectus integritatis confessionis est aliquod malum, est etiam grauamen, quod penitens, per se loquendo, remaneat obligatus ad ea peccata in aliis confessionibus aperienda, quibus confessarius videtur ex officio debere occurrere si commodè possit.

Confirm. iuxta sententiam Medinæ confessarius vix teneretur quidquam rogare rusticos confitentes, quod tamen est alienum ab usu confessariorum.

Aduerte 1. sacerdotem non facile obligari interrogare

Conclus. 2.
Tenetur
sacerdos
monere
penitentem.

Difficultas
controuersa.

Medinæ,
negat.

5.
Verior af.
firmatiua.
Nauarr.
Suar.
Vasq.

terrogare poenitentem, quem ex modo procedendi aduertit doctum, & conscientiam diligenter examinasse.

Aduerte 2. confessarium in interrogationibus debere esse prudentem, vt non interroget peregrina statui poenitentis, sed quæ illius statui conueniunt, & ferè occasione datà ex iis quæ recenset, præsertim in materiâ castitatis, in qua paucis agere debet, verbis quantum fieri potest honestis, & non nimium procedendo ad alia, quæ magnam non habent connexionem cum iis, quæ explicat poenitens. quia satis constat, quod nimis interrogationes in hac materia possint tam poenitenti, quam confessario grauiter nocere, & esse periculosa.

Aduerte 3. rusticos & alios simpliciores non esse facile remittendos quod conscientiam minus debite videantur examinasse, sed breuibus interrogationibus quoad speciem, & numerum esse iuuandos, vt industria sacerdotis eorum examen suppleat, quia constat experientiâ quod si remittantur, post examen vix quidquam explicatiûs possint confiteri.

An confessarius debeat interrogare in fine, postquam poenitens omnia recensuit, an verò in decursu videtur prudentiâ eius relinquendum, de cuius prudentiâ in interrogationibus adhibenda videri possunt Caietan. in summâ, verbo, *confessari necessaria* num. 3. Nauar. cap. 5. num. 3. Toletus lib. 3. cap. 18. in fine.

Dico 3. si confessarius aduertat poenitentem ex ignorantia culpabili esse in malo statu tenetur eum monere, vt consulat tum poenitenti, tum Sacramento, quod multo magis facere tenetur, si poenitens dubius de veritate interroget. & ita communiter Doctores, qui etiam censent confessarium ad id obligari, quamuis ignorantia sit inculcata, modo speretur fructus, & non timeantur graua incommoda. quia confessarius est medicus, & consultor, qui tenetur malum etiam materiale poenitentis impedire, vel remouere quando commodè potest.

Quod si non speretur fructus, non tenetur monere: imò nec potest. Probat prior pars. quia non obstante tali statu materialiter malo inuincibiliter ignorato poenitens est dispositus ad absolutionem cum fructu recipiendam, igitur confessarius ex eo capite non tenetur illum monere; ex alio autem capite non tenetur quando non est spes emendationis: imò quia sequeretur contrarium eius quod per correctionem fraternam intenditur, non potest monere. vnde confessarius aduertens poenitentem inuincibiliter ignorare contractus quos exercet esse illicitos, si monendo non speret fructum, non tenetur monere. similiter si sciat matrimonium poenitentis propter impedimentum esse inualidum, si quidem poenitens illud inuincibiliter ignoret, nec speretur fructus ex manifestatione veritatis, non tenetur monere.

Dixi etiam, & non timeantur graua incommoda: quia si hæc timeantur non tenetur monere. vt si ex dissolutione matrimonij timeantur graues perturbationes in republicâ, scandala, inimicitia familiarum potentium, confessarius nullo modo debet aperire defectum sibi notum. quod si fortè rogetur à muliere; num liceat sibi debitum reddere, vel etiam petere, potest respondere, quod ea possit. quia responsio intelligitur de actibus formaliter sumptis, & suppositâ ignorantia inuincibili, quâ ratione sunt liciti & honesti, quamuis materialiter

sint mali. ad quam malitiam materiale confessarius solum permisiuè se habet, quod ob maius bonum est licitum, & habet graues causas ita respondendi. imò potest dicere quod teneatur reddere, quia suppositâ inuincibili ignorantia ad id obligatur.

Porrò confessarius ex variis circumstantiis poterit aduertere num poenitens versetur in ignorantia inuincibili, easque debet perpendere antequam impedimentum detegat, nec ea in re debet esse præceptum, sed nonnihil debet dissimulare.

Non debet etiam esse præceptum in dandis resolutionibus ad varios casus qui interdum in confessione proponuntur, sed debet rem perpendere, & pro qualitate materiæ auctores consulere, vel viros doctos (saluo semper manente sigillo) & præsertim non debet temerè resolueri in materia censurarum, beneficiorum, simoniæ, & similibus quæ plurimum à iure positivo dependent, & in quibus recenti memoriâ opus est.

Ex dictis facile potest colligi quod quando aliquâ de re plures sunt sententiæ verè probabiles, v. g. num contractus aliquis sit licitus vel illicitus, num aliquis teneatur restituere vel non, ita vt poenitens non peccet adhaerendo alicui sententiæ & secundum illam operando, confessarium debere eum absolueri contra propriam sententiam. quia talis, vt supponitur, legitimè est dispositus ad absolutionem. vnde est optimum vt confessarius norit sententiâ vtriusque probabiles, vt possit sine scrupulo absolueri.

Ex dictis etiam colligi potest quâ ratione possit se gerere confessarius, qui errorem in suo munere commisit. si error sit commissus circa substantiam Sacramenti, vt si inualidè absoluit, debet conuenienti modo inducere poenitentem, cuius confessionem audiuit, ad confessionem iterandam, si videlicet id possit absque incommodo, vel scandalo, quia, per se loquendo, peccata debent iterum clauibus subiici. vnde confessarius debet, quantum fieri potest, prudenter petere à poenitente veniam tractandi de rebus in præcedenti confessione peractis, vel si non possit, saltem inducat vt sibi confiteatur, eumque excitet ad contritionem peccatorum etiam antiquorum, & vt de his absolui cupiat, si fortè esset necesse. si hæc, & similia non possit absque graui incommodo præstare, ad nihil obligabitur. quia per sequentes legitimas absolutiones poenitens gratiam consequetur. grauen autem quod subit ex eo quod peccata, per se loquendo, debeant iterum clauibus subiici, non est tantum vt propter illud confessarius notabile incommodum subire debeat, cum verè non noceat animæ poenitentis.

Quod si sacerdos omisit absolueri à censura, potest absenti absolutionem ab ea impendere, si vel quando habebit legitimam auctoritatem.

Si neglexit poenitentem monere restitutionis necessariæ, postmodum moneat, si commodè potest. si alter non restituit confessarius ad nihil tenetur obligari: quia respectu illius nullo modo obligatur ex iustitiâ, cum ratione officij solum obligetur respectu poenitentis, ne permaneat in peccato, si tamen dixerit poenitentem non obligari ad restitutionem, cum tamen certò ad eam obligaretur, ita vt in eo consilio culpam latam commiserit, teneatur in defectum poenitentis restituere, nisi tempestiue consilium reuocauerit.

Conclus. 3.
Aduertens
poenitentem
ex ignoran-
tia culpa-
bili esse in
malo statu,
tenetur
monere.